

mus 0. sed quia in præcedenti multiplicatio-
ne reseruata erant 3. posuimus 3. loco pro-
ducti 0. Rursus cum multiplicauimus iterum
8. per 0. produximus etiam 0. & quoniam ni-
hil reseruatum fuit, posuimus 0. loco produ-
cti. Idemq; factum est in posteriori exemplo.

Post hæc infra omnes numeros productos
alia linea ducatur, vt sub ea ponatur summa
ex omnibus illis productis collecta. Quæ
quidem summa colligenda est, vt in additio-
ne traditum est; dummodo prima figura cu-
iuslibet producti eum intelligatur locum oc-
cupare, quem figura primi producti, sub qua
illa collocatur, occupat: Hoc est, vt figura 2.
quæ prima est secundi numeri producti in
proposito exemplo, cogitetur esse posita sub
secundo loco primi producti; figura autem 4.
quæ prima est in tertio producto, intelligatur
esse locata sub tertio loco primi producti;
Deniq; figura 8. quæ prima etiam est in quar-
to producto, concipiatur occupare sextum
locum sub primo producto. In his enim lo-
cis omnes has figuras vides esse positas. Itaq;
vt exemplo rem monstremus, hac ratione
summa colligetur. In numeris productis so-
la figura 2. occupat primum locum; Ea igitur
sola ponenda est in primo loco sub linea. De-
inde in secundo loco sunt 1. & 2. quæ faciunt
3. sub linea in secundo loco ponenda. Rur-
sus in tertio loco sunt 7. 0. 4. quæ efficiunt 11.
Collocanda ergo erit 1. sub linea in tertio lo-
co, & seruanda 1. vt figuris quarti loci adijci-
atur, &c. Hac ratione summa collecta erit
2582101267132. atque hic numerus producitur
ex mul-